

37



PETECHIARVM  
BENIGNISSIMAE INDOLIS  
SINGVLARE EXEMPLVM,

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. UTIL ITEMQUE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI TEMPORE DECANO,

AD D. XVII. LVII CICCI OCCCLXXX.

# MEDICI DOCTORIS HONORES

SOLEMNI LEGITIMOQVE RITV CAPESSVRVS

PUBLIC EXPONENT

## AVCTOR

IOANNES GODOFREDVS FERDINANDVS

## VECHNER

BEHNA LVSATVS.



TRAJECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

JOACHIM GÖTTSCHE DER JUDENZWEIG  
HEIDELBERGER DRUCKEREI 1708

DRUCKER UND VERLEGER  
JOACHIM GÖTTSCHE




## PROOEMIVM.

Τὸ δὲ Φυῖ, κράτιστον ἄναν.


PINDARVS in Olymp. Od. IX.

**C**aureum profecto hoc PINDARI effatum, quod de naturali ingeniorum propensione edidit, de iis quoque conuenientissime valet corporis affectibus, in quos saepe numero humana natura sua


A 2 spon-



sponte, praeter medici*j* opinionem, fertur,  
quosque adeo, non sine insigni aegrotantis  
hominis alleuamento, in huius salutem, ve-  
lut optima medicatrix, conuertit. Cuius  
generis exempla, nae! ego nescio, cur an-  
xie quaeramus: cum tot tamque variae  
morborum sint iudicationes, Graeci *ηπίστεις*  
appellant, quas salutariter prouida mouet  
natura. Vt cunque autem haec sint, scire  
licet, interdum ex his adeo rarae obserua-  
tionis accidere *φανόμενα*, vt omnino peculia-  
ri commemoratione videantur digna: ne  
forte, dum ex improviso incident, me-  
denti inanem iniiciant metum, eiusque  
cir-



circulos turbent. Quotusquisque est, cui  
non terribile sit eorum *εξαθημάτων* nomen,  
quae nunc vulgo *petechias* vocamus; haud  
raro putridarum malignarumque febrium  
comites: nihilo minus sunt passim eiusdem  
generis exempla obseruata, quae benignis-  
simae et nequaquam funestae fuerunt indo-  
lis, immo omni accessoria caruerunt febre.  
Forte accidit fortuna, ut nostro quoque  
*optimo Praesidi* huius generis exemplum  
nuper casus offerret: quod vicissim nunc  
vobis offero, lectors beneuoli, tanquam  
aliquid laborum academicorum specimen,  
si meis votis euentus respondet, haud in-



fructuosum futurum. *Primo* ergo totius  
huius exempli historiam sum enarraturus,  
*deinde* pathologicam eiusdem additurus  
aestimationem. Quod si passim hic errauer-  
ro, me rectiora docete, lectores; mihi  
enim dictum puto illud veteris poëtae:

Νέος τεφυκας πωλησ χρηστα μανθανε.

SECTIO


SECTIO PRIOR HISTORICA.

§. I.


*Morborum paullo ante praegressorum  
recensio.*

Ego vero dum singulare quoddam petechiarum benignissimarum exemplum enarratus sum, id mihi dari negotii, existimo, vt, qui paullo ante eadem in aegrota antecesserunt, morbos breuiter exponam: vnde forte lectoribus constare poterunt rationes, quibus enatae sunt hae, de quibus nunc differere institui, petechiae. Exeunte circiter mense Aprili super elapsi anni honestissima quadam femina, vix viginti tres annos supergressa, diuinique verbi praecognitio nupta, facilis felicique partu ediderat filiolam, nec expeditus secundinarum lochiorumque defuerat prouentus. Ceterum puerperae a natura erat temperie sanguinea, in cholericam parum vergens, corporisque habitus mediocris, neque gracilis nimis, neque nimis obesus. Mite ad haec et ab educatione modestum ingenium, et, vt sui ordinis matronas decet, grauissimorum animi affectuum abstinentia.

Ad



Ad duodeuicesimum a partu diem lochia, quae sufficienter vterum purgauerant, profluere desierunt. In lacte secernendo natura nec, vt saepe solet, febriculam concitauerat, nec aliam qualemcumque crea-uerat molestiam. Ergo, elapsis tribus hebdomadi- bus, ipsa sibi visa est puerpera absolute sana, pri- stinisque viribus perfecte valens. Neque iustus modicusque ciborum deficiebat appetitus, eidemque conueniens alui obsequium. Sed ecce! laeta haec fors parum fuit diuturna. Quippe subito, nescio, quo casu quaque de causa, versus vesperam vicesimi quarti post partum diei atrocissimi intestinorum do- lores vna cum frequentissimis alui deiectionibus cruentis feminam hanc inuaserunt: postquam praecedentibus aliquot diebus diarrhoea inciderat haud admodum frequens, mox biliosa visa, mox solummodo mucosa, rarius intestinorum torminibus molesta. Iam vero cum aluinorum profluuiorum frequentia intendebantur tormenta perpetuique fere tenesmi; accedebat febricula et insigne virium de- crementum, ciborumque nausea: sitis vero inten- sior aegrotam pessime vexabat. Haec dum accidentunt, tres iam praeterierant dies, molestiarum cruciatu- umque plenissimi, cum demum *Praefidis nostri consilium auxiliu* que efflagitatur. Hic igitur, ad  
aegro-



9

aegrotam profectus, viresque huius admodum detritis deprehendens, a consueto emeticorum euacuantiumque vsu abstinuit; in id potissimum intentus, vt partim acrem corruptamque intestinorum colluviem inuolueret, temperaret, leniretque, partim impetuosum reliquorum humorum vitalium haec ad loca adfluxum, quoad eius fieri posset, auerteret imminueretque. Proinde, priori scopo satisfacturus, apozemata cum ex decorticato hordeo, tum ex radicibus altheae Salapque, tum ex pedibus vitulinis veruecinisue, tum ex notissimis illis Sago granulis, confici iussit, potuique ordinario destinavit. Eadem decocta quoque enematum loco habuit, vt tenebri molestias mitigaret. Verum enim vero, vt posteriorem quoque finem obtineret, intestinorumque infirmitati quomodocunque prospiceret, ex corticibus Simaroubae et salicis laureae, quam pentandram dixit LINNAEVS, saturatum decoctum aquosum conficiendum curauit: hoc quidem consilio, vt vtriusque corticis duae drachmae, coniunctim aqua decoctae deinceps colatae, et sensim ab aegrota haustrae, singulis diebus destinarentur. Qua ratione effectum est, vt non solum mox febricula ista dysenterica cederet, sed etiam copiosae istae alii dieiectiones infrequentiores minusque torminosae euadent,

B

rent,



rent, ipso quoque tenesmo inter haec mox sublat. Vix denique sex diebus praeterlapsis prorsus omnia atque singula dysenteriae symptomata euanuerunt, et, alio quoque ad consuetum naturae ordinem redeunte, confirmatoque denuo ciborum appetitu, aegrota ipsa, quippe iuuenili vigore eximie alleuata, mox pristinas recuperavit vires, et ad perfectam rediit sanitatem.

## §. II.

### *Petecharum improuisus prouentus.*

Ex eo tempore circuitur exactum erat vnius hebdomadis spatium, cum forte *Praeses* noster, Heliopolin nostram Marchicam (*Sonnenburg*) proficiens, in itinere eundem hunc pagum, vbi degebat ista femina, attingeret, hancque adeo denuo inuiseret. Laeta serenoque vultu in vestibulo exceptit eum, cuius consilio paullo ante conualuerat, et, de valetudine quaesita, supereffuse quidquam nuperae infirmitatis, negauit. Abiit ergo hilari animo, quo tendebat, Heliopolin *Praeses*. Vbi vix duo dies commoratus ex inopinato a dictae feminae parente litteras accepit sollicitudinis plenissimas; quibus vehementer rogabatur *Praeses*, velit accelerare reuer-

fio-



sionem: quandoquidem dilectissimae filiae nouus morbus, pessimis exanthematibus incedens, sumum, immo funestum, vitae periculum minari videretur. Ergo vix aliquot horis post, conuerso itinere, rediit ad aegrotam *Praeses* noster, eandemque in lecto, parentis sui iussu, decumbentem deprehendit. Subrisit ipsa, sibi recte esse, iterum iterumque adfirmauit: detrahi sibi cibum, quem maxime appeteret; detineri se in lecto, quae belle valeret; suffundi parentis vultum sollicitudinis notis sine omni cauilla, vehementer est conquesta. Apparuitse forte heri versus vesperam maculas liuidas in universa thoracis regione, cum filiolam suam mammis admoueret: hinc metus curarumque argumentum. Se ipsam haud aequa exinde inquietari: quod non solum se optime validam sentiret, verum etiam nullis doloribus, nullis praecordiorum anxietatibus vigeretur. Se bene dormire, ciborum esse appetentem, digerere eosdem recte, alium officii sui esse memor, vires firmas, mammas lacteo abundare succo, animum esse hilarem, et cetera. Quidnam ergo superesset ad perfectam valetudinem, quaesivit, simulque, quasi verbis suis fidem factura, manum porrexit, ut arteriarum iectus explorari posset. Atque hae, obseruante *Praefide* nostro, micabant pulsu aequali, magno,



nequaquam tamen duro, et temperatissime accelerato; aberat vero ea celeritas atque frequentia, quae febris praesentiam declarat. Tum quoque placido vultu formidolosa illa ostendit exanthemata, quae fiorum animos tanto commouerant metu. Erant omnino primo adspectu ita comparata, ut vel maxime impaudo cor perfrigefacere possent. In uniuerso enim thorace, praesertim circa collum mammase, in abdomen, vtroque brachio et femore, passim quoque ad suras, tam innumerabilis macularum paruarum rotundarum, hinc inde etiam maiorum et inaequalis figurae, omnium vero singulariumque planarum, nec ullibi eleuatarum tumentiumue, insidebat copia, ut tota cutis quasi uno eodemque colore tinteta videretur. Ad haec ingratus ille, ex nigro fuscus, macularum color, qui omnium idem erat, cum peior et detestabilior erat adspectu, tum facile maximam periculi suspicionem mouebat. Verum enim vero cetera intuens optimus Praeses noster, et in primis febris absentiam respiciens, iussit omnes, praesertim anxium suspensumque curis parentem, bono esse animo, nullasque inde infidias, aegrotantis vitae instructas, metuere. Forte enim tunc temporis Praefidi venerat in mientem istud illustris RUDOLPHI AVGYSTINI VOGELII: Quibus

bus petechiae, dicentis (a), sine febre sunt, his nullum periculum inde imminet. Ad haec etiam, quod medicamentorum promte facileque comparandorum opportunitas deerat, nullius remedii usus aegrotae est imperatus, praeter tenuem diaetam frequentemque aquae simplicis, citri acore temperatae, potum. Caut quoque suis monitis praeceptisque Praeses, ne, ut antea sollicitus parens instituerat, aegrota plumearum culcitarum mole obrueretur, ad noxiā frigefactionem, in primis nocturnam, arcendam sufficere lodiculam ratus; vernum enim tempus iam in aestatem inclinabat, idoneo calore temperiem aëris satis mitigante. Eadem quoque de caussa liber aëris ad conclaue accessus neutquam est prohibitus. Vale nunc dixit aegrotae, et adfectum iter domum continuauit Praeses. Sed triduo post ipse denuo Heliopolin vocabatur: qua in via non potuit sibi temperare, quin aegrotam istam iniuseret. Cum ex inopinato adueniret, simulque curiosus anxiusque ille parens abesset, deprehendit aegram insella sedentem, et, pro nostrarum muliercularum more, fila artificiose trahentem implicantemque (*Fillet*); ceterum, ut nuper, laetam optimeque valentem. Neque toto trium horum dierum interiectu


B 3

alia

a) In *Prælectione*, de cognoscend. et curand. corpor. hum. adfect. §. 145.



alia fuit feminae huius conditio. De petechialium istarum macularum statu quaesita narravit: istas altero post *Praefidis* discessum die sensim fuscum deposuisse colorem, et ex roseo flauescere coepisse; dehinc pedetentim euanuisse, paucisque istas adhuc superfites, quasque monstrauit, vix conspicuo quodam pallide flauo colore a reliqua cute distingui. Medici ergo consilio non amplius egentem hanc feminam, inter vota diuturnae valetudinis optimae, reliquit *Praeses*; quam deinde saepe numero durabili sanitate fruentem reuifit.



## SECTIO POSTERIOR DOGMATICA.

### §. III.

*Paracarpitica quaedam.*

Non quidem insolentissimae sunt obseruationes benignarum huiusmodi petechiarum, quarum singulare quoddam nunc paullo ante recensui exemplum: haud aequa tamen frequenter, ac reliqua exanthematicorum morborum genera, in primis mali moris petechiae, medicis clinicis offerri solent. Vnde etiam fa-




factum esse videtur, ut, si quando huius generis benignae inciderent petechiae, peculiari commemo-  
ratione ab obseruatoribus medicis dignae sint aesti-  
matae. Nostri non est instituti, omnes singulosque  
eruere scriptores, qui exanthematicos hujus ordinis  
huiusque benignitatis adfectus obseruando animad-  
uerterunt, animaduersosque scriptis suis exposue-  
runt; quippe academicci libelli cancellis circumscri-  
bimur: eos tamen, qui nuper publicam huiusmodi  
petechiarum mentionem fecerunt, tacite nunc prae-  
terire non licet. Primo loco nominabimus CARO-  
LVM STRACKIVM, in academia Moguntina medici-  
nam atque chirurgiam non sine nominis sui celebri-  
tate publice profitentem: qui in singulari commen-  
tariolo, quem *de morbo cum petechiis inscripsit* (b),  
varia benignarum nullaque febre stipatarum petechi-  
arum exempla exposuit (c). Hunc excipiat IOAN-  
NES AVGVSTVS PHILIPPVS GESNERVS, polia-  
ter Noerdingensis celeberrimus, principisque Oct-  
tingo-Wallersteinensis a consiliis; a quo itidem ali-  
quot petechiarum fine fine febre exempla sunt ob-  
seruata, et in *obseruationum medicarum physicarum-*

que

b) Prodierunt *Obseruationes medicinales de morbo cum petechiis, et qua rationie eidem medendum sit*, Carollsruhae, 1767. in 8.

c) *Libr. cit.* pag. 119. seqq.



que fasciculum (*d*) relata. Circa idem tempus vir  
clarissimus, EDWARDVS GRAAF, solemnem de  
petechiis sine febre dissertationem Goettingae edidit,  
scribendi opportunitatem ex memorabili huius ge-  
neris exemplo, quod luculentius descriptum dedit (*e*),  
nactus. Nuperrime denique ANDREAS DVNCANVS,  
collegii medici Edimburgensis sodalis, itemque  
theoriae atque praxeos medicae professor, haud  
prioris dissimile exemplum obseruavit, et peculiari  
commentariolo, morborum singularium historiis, ab  
ipso editis (*f*), inserto, curatius illustrauit. Verum  
enim vero, vtcunque haec omnia sint, tamen singu-  
la cum nostro, quod exposuimus, exemplo non  
prospero conueniunt: siue huius incredibilem, quae  
ad coniuncta symptomata pertinet, benignitatem  
speces, siue ipsas illarum petechiarum, ratione in-  
primis figurae, rationes. Scire enim sequentia,  
oportet lectores. Partim in omnibus istis aegro-  
tantibus, de quibus ante dicti celebres viri retulerunt,  
ipsa exanthemata petechialia variae figurae diuersi-

que

*d*) Volum. III. pag. 205. seq. Nordlingae, 1771. in 8.

*e*) Dissertatione hac aegerrime adhuc careo: sed expositae historiae  
rationes ex DVNGANO cognoui.


*f*) Vtor versione germanica, Lipsiae, 1779. in 8. edita; cuius con-  
fer pag. 68. seq.



que coloris vibicibus erant distincta: partim etiam istae maculae deprehendebantur fugaces inconstantesque, mox euanescentes, mox vero denuo erumpentes. Symptomatum autem, tam antecedentium, quam superuenientium, conditio plurimum cum iis, quae veris scorbuticis esse solent familiaria, conueniebat. Gingiuarum nariumque cruentum stillicidium, capitis dolores, artuum lassitudo, immo praecordiorum angor a macularum istorum regressu, et id genus alia, profecto in ipsis exemplis suspectam reddere debuerunt istorum petechialium exanthematum benignitatem, licet febris abesset, euentusque salutem aegrotantibus praestaret. Quanto laetior expeditiorque eius aegrotae, cuius historiam tradidimus, fuit conditio! Superato enim dysenterico aliui profluvio perfecta iam redierat valetudo, et tunc diu post, vel ipsa ignorantie aegra, supra descriptorum exanthematum acciderat prouentus, nunquam forte, aut saltem sine terrore, obseruatus, nisi meticulousis parentis animus sollicitudinem metumque diffidisset. Nihilo minus aegra, ex interno sensu saluae constantisque suae valetudinis conscientia, parum inde perturbari se animo est passa. Proinde etiam ipsa exanthemata sine noxio regressu persistebant, donec naturali ordine dissoluta euanescerent. Praecordia

C

non



non angebantur, sitis ciborumque appetitus naturae institutis conueniebant, veetrulus rectissime digerbat accepta alimenta, et, quae restabant superflua, obsequioso permittebantur alio, in iisdem expellendis apte occupato. Nec in reliquorum colorum officio deficiebat natura. Vnde etiam cordi arteriisque suum manebat robur, aequali iustoque humorum impulsu satis abunde se manifestans.

#### §. IV.

##### *Pathologica horum exanthematum aestimatio.*

Verum enim vero, cum omnium corporis humani actionum, et ipsarum quoque vitalium, indoles atque conditio in praesenti aegrota deprehenderetur placida, moderata, naturaeque conueniens, et nihilo secius copiosissima memorabilium exanthematum ad cutem propulsio continget, merito a nobis exspectaturos esse lectors, existimamus, ut nunc, quoad eius fieri poterit, expediamus: primo cuinam morborum generi ante descripta exanthemata apte subiici possint; deinceps quaenam materies aliena et excrementitia suo ad vasa cutanea decubitu oriundis iisdem ansam dederit? Generis defini-

finitio haud omnino facilis est expeditu. *Petechias* diximus, partim quod cum iisdem maculis, quae malignarum febrium petechialium comites esse solent, figura, colore, ambituque conuenire videbantur, partim etiam quod reliqui isti, quos supra excitauiimus, clarissimi viri ad exempla, a nostro parum abludentia, idem petechiarum nomen transtulerunt. Quod si tamen simplex hoc petechiarum displiceat nomen, quoniam plerumque malignitatis notam in medicorum scholis simul inuoluit, per nos licet, aliud constitui genus congruumque nomen. Quo consilio nobis certe *phoenigmi* genus, a FRANC. BOISSIERIO de SAVVAGES definitum (g), prae reliquis placet: quod omnium optime ad illa, de quibus nunc differuimus, exanthemata referri potest. *Phoenigmus* enim, docente SAVVAGE-  
SIO (h), est morbus apyretus, cutis rubedine diffusa, maculata, virgata, vel pünctata notatus. Differt a purpura scarlatina, rubeola, aliisque phlegmatis exanthematicis, quod nulla febre stipetur; a gutta rosea, herpeto, pernione, aliisque vitiis maculosis, quod magnam cutis partem obsideat. Haec de genere sint satis. A quanam vero materie impura et excremen-

C 2

titia

g) *Nefolog. method.* Tom. III. Part. II. pag. 496.b) *Ibidem.*



titia deriuari possit dictorum exanthematum prouentus, non aperte liquet. Ad difficilem hanc rem expediendam ad sequentia attendere nos oportet, cum reliquorum istorum huius generis exemplorum historiis, quas ante excitati clarissimi auctores tradiderunt, conferenda. Primo memoratu omnino dignum videtur, has ipsas maculas, quas supra descripsimus, non auferre atque supprimere acrem in subiecta cute doloris sensum, quandocunque maculosus locus acus apice pungitur aut discinditur. Hoc ipso experimento quoque in praedicta femina explorauit maculas petechiales Praeses noster, praceptorum hac super re a celeberrimo THEOPHILO LOBB (*i*) datorum probe memor. Singulae, quas acus punxerat, maculae acriter doluerunt. Haec omnia in maligni moris putridaeque originis petechiis contraria eueniunt. Quaslibet enim posterioris huius generis commode tot dixeris sphacelos, quot maculae deprehenduntur. Hinc etiam accidit, ut, quae aliarum corporis humani partium, necrosis tactarum, conditio esse solet, acu punctae hac petechiae nullum aegrotantibus imprimant doloris sensum

*i) In der Anleitung zur ausübenden Arzneykunst;* Lipsiae. 1772.  
pag. 226.

sum (k). Dein etiam obseruando negligi haud detet, quod, si omnino iustae benignitatis fuerint hae ipsae, de quibus nunc differimus, petechiae, nullus pruritus, nedum obscurus quidam dolor, in iis locis, quae a petechiis obsidentur, sentiantur. Quo nomine illas, quae in supra descripta aegrota apparuerunt, maculas exempli loco excitare possumus. Minus his benignae erant naturae, quas illustris GESNERVS (l) descripsit; quod ab iisdem aegrotantium cutis vehementer pruriebat, et velut formicabat. Neque Graafiana atque Duncaniana exempla omni acrimoniae morbosae, et, ut veri videntur simillimum, scorbuticae, suspitione liberari possunt: quod tam proxime antecedentia, quam superuenientia symptomata, verbi causa, sanguinis ex naribus ginguisque stillicidium, capitis dolores, vomitiones, et cetera, satis superque demonstrarunt, inhaesisse sanguinis massae stimuli quidquam, tam agenti cordi, quam irritabilibus sensibilibusque cor-

## C 3

po-

k) Vedit ipse optimus Praefes noster in honestissima quadam matrona, quae celebri cuidam litteratoque viro nupserat, eiusmodi nigerrimas et profluis sphacelosas petechias in miliarium decursu sua sponte ortas, nec calido regimine aut eiusdem generis medicamentis extortas; quibus satis profunde acus, sine omni aegrotantis dolore, infigi poterat. Interim, quae dei est gratia, viuit adhuc, vitalique vescitur aura.

l) Libr. et loc. citat.



poris partibus passim molesti. Denique hoc etiam medicae attentionis interest, quod adeo blanda omniq[ue] irritamento carens huiusmodi petechiarum est natura, vt cum naturali humoris perspirabilis meatu colluuiem illam alienam et a sanguine exceptam, quae ipsarum fons est et origo, ad curanea vascula placide propellant, nec impetuoso[rum] cordis impetu, celerique et frequenti arteriarum iectu, febrem vocant medici, ad expulsione[rum] habeant opus. Qualisunque autem haec sit colluuius, aut quodcunque sanguinis inquinamentum, cui saltem in praesenti aegrota petechiarum prouentus adiudicari potuit, hoc omne certe, nisi coniectura egregie fallimur, leuiter corruptis particulis biliosis atque sanguineis, eo tempore, quo aegrotam nostram dysentericus vexabat alii fluxus, in vniuerso intestinorum tubo, ob aciorem istius morbi irritationem, copiosius confluentibus, et hinc partim quidem per aluum eiectis, partim vero, et, vt videtur, haud exigua sui parte, vna cum chylo intestinalique lympha a bibulis venularum lectearum osculis sensim sorptis, et sanguini adfusis, debetur. Hinc ergo cum tota sanguinis mole sensim a vi impetuque cordis per infinitos vasorum meatus circumactae hae particulae, aliqua forte ex parte, intestino motu attritae relo-

lu-

Iutaeque, ad varia humani corporis cola peruenient, ibidemque foras sunt electae: crudiores vero minusque resolutae earundem moleculae, et adeo reliquis specifice, ut aiunt, grauiores, eoque nomine, sicut ex physiologicis constat, canarium suorum axin sectantes, ultimis demum exhalantiam arteriolarum angustiis impulsae, haeserunt tandem sub transparente cuticula, Malpighiano mucro intermixtae, maculasque efformarunt; donec ad extremum noua adfluenta lympha penitus dilutae sunt, viamque, quo abeant, inuenierunt. Hac a lenta mutatione fit quoque conspicua his in maculis, dum euancere incipiunt, coloris mutatio; quae in omnibus huiusmodi exemplis obseruatur. Quod autem ex ipso primarum viarum tractu benignarum petechiarum origines deducere ausi sumus, nolite admodum mirari, lectores: quandoquidem sunt magnae auctoritatis aequae, ac doctrinae viri, qui ipsarum malignarum petechiarum ortum ex intestinorum varia colluui deducunt. Namque supra iam honorifice excitatus RUDOLPHVS AVGVSTINVS VOGELIVS, postquam variis de petechiarum ortu caussaque sententiis ad sensum denegarat suum: *Contra*, inquit (m),  
a pu-

m) *Libr. allegar.* pag. 109.




a putrida in primis viis haerente colluuiie rectius  
excludi videntur petechiae. Haec sunt, quae su-  
per singulari hoc benignarum petechiarum exem-  
pto breuiter commentari licuit nobis: cui fa-  
cto si faueatis, lectores, habebimus, cur  
hoc labore non operam oleumque  
perdidisse videamur.









PETECHIARVM  
BENIGNISSIMAE INDO LIS  
SINGVLARE EXEMPLVM,

PRAESIDE

# PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI HUC TEMPORI DECANO,

AD D. XVII. IVLII CICCIOLXXX

MEDICI DOCTORIS HONORES

SOLEMNI LEGITIMOQVE RITV CAPESSVRVS

PUBLIC EXPONENT

AVCTOR

IOANNES GODOFREDVS FERDINANDVS  
VECHNER

BEHNA LVSATVS



TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.